

geri jubet; Cardinalem quem *Camerarium* vocant, & Camil-
lum Columnam in Hadriani molem trudi imperat. Alexandro
Sfortiæ absenti sacerdotium adimit; Marcum Antonium Nea-
polim profectum in iudicium vocat; Julianum Cæsarinum, at-
que Ascanium Cornæum, datis vadibus, urbis exitu prohibet.
Eodem tempore quammaximam potest Italorum militum ma-
num cogit, Urbinati, pontificiarum copiarum imperatori, ut in
suis ditionibus quatuor peditum millium delectum habeat, ju-
bet, equites undique colligat. Jamque Romæ tria peditum
millia aderant, quos, adjecta equitum manu, Antonio Caraf-
fa duce, Palianum versus, Neapolitano regno finitimum Co-
lumnensium oppidum, contendere præcipit. Antonio adven-
tanti Paliani incolæ, Marco Antonio Columna ab omnibus re-
bus imparato annuente, oppidum pontificiis dedere; exemplum
alia castella subsecuta sunt. Antium (*Neptunum* hodie) in
litore situm cepere; Bracianum ad Sabatinum lacum, Sancti-
florio Cardinali captivo permittente, præsidio militum imposi-
to, occupavere. His haud dubium impendere Italiæ bel-
lum videbatur, cum præsertim Avanzonius, Regis legatus,
Arminiacus Cardinalis, Lanfacius Pontificis animo novarum re-
rum consilia instillarent; gesta extollerent: unam ad ecclesia-
sticam dignitatem tuendam viam esse, si Cæsareanorum fastum
atque elatos spiritus obtunderet: Christianissimum Regem
pontificiæ dignitatis eximium vindicem, ac patronum
habiturum, qui nulla pontificiam dignitatem labe infici patere-
tur, præpotentisque regni viribus præsentem opem laturum.
Pontifex Carolo infensus, in animum Gallorum consilia demit-
tere, aures pollicitis præbere, a Cardinali nepote impelli. Ob
id Annibalem Oricellarium in Galliam mittit, qui Henricum ad
Ecclesiæ, Pontificis, atque Caraffæ familiæ patrocini-
um suscipiendum hortetur: quidquid virium, quidquid ex Ecclesiæ di-
tionibus, vel ad bellum in Hetruria renovandum, vel ad Nea-
politano regno inferendum peti possit, defert. Ardenter enim,
ut Neapolitani in Gallorum potestatem concederent, Caraffa
Cardinalis optabat, atque (ut plerumque quæ maxime homines
cupiunt, ea sibi facilia fore arbitrantur) suæ familiæ summam au-
ctoritatem, ac vires, quantopere in Neapolitano regno, ac præ-
cipue in Salentinis posset, extollere: complures propinquos, at-

1555
Cardinalis
Camerarius & Ca-
millus Co-
lumba in
custodiam
dati.

Paulus
Pont. in pro-
ceres Hispa-
nicæ partis
animadvertit,
atque ad bellum se
instruit.

Antonius
Caraffa Co-
lumnensium
ditiones oc-
cupat.

Galli Pon-
tificis adver-
sus Cæsarem
concitant,
Regis patro-
cinium pro-
mittunt.

Annibal
Oricellarius
a Pontifice in
Galliam
missus, ad
Neapolita-
nam expedi-
tionem Regi
suadendam.